



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

De Contritione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

tionis obtinendæ. Desinat ergo Lutherus *consequen-*
eam rem pro noua nobis & admiranda pro- *de uenæ,*
ponere, quam nemo non nouit. Desinat
quiritari desuetam esse, qua nihil est vfi-
tarius.

DE CONTRITIONE.



Bliteratis, inquit, promissio- *Lutheri*
ne & fide, videamus quid sub- *verba*
stituerunt in locum earum. Tres,
inquit, partes dederunt pœni-
tentia, contritionem, confes-
sionem, satisfactionem. Quas omnes tres
ita tractat Lutherus, ut satis perspicuum fa-
ciat, nullam earum satis ei placere. Nam
primum, in cōtritione indignatur, & iram
dei vocat insistentabilem, quod attritio- *Luthero ni-*
ni fiat locus, & credatur deus in dolore *miū displi-*
non satis de se vehementi, per sacramen- *cet attri-*
tum supplere quod deest homini. Videat- *tio.*
mus ergo quam præclare tuetur quod di-
cit, quid ipse contra statuat. Magnam rem
docet esse contritionem, nec facile para- *Lutheri*
bilem. Iubet omnes habere pro certo, & *verba.*
indubitate credere, propter verbum pro-
missionis omnia sibi peccata esse dimissa,
& à deo se solutos in coelo, postquam per
os hominis soluti sunt in terra. Qua in re,

Assertio

ipſius aſſertio vel in idē recidet quod re-
prehendit, vel multo magis erit abſurda.
Nam deus aut his duntaxat per pœnitentiam
promiſit peccata remittere, qui quantum
peccati moles exigit, antè conteruntur,
aut his etiam qui minus, aut denique
remittit & illis qui nihil conteruntur
omnino. Si non promiſit niſi quantum po-
ſcat peccati magnitudo contritis, non po-
teſt Lutherus, quod omnes iubet, certus
eſſe & indubius ſe eſſe ſolutū. Nam quo-
modo ſcire ſe poteſt obtinere promiſſum,
qui ſe ſcire non poteſt ſatis eſſe contri-
tum? Nemo enim nouit mortalium om-
nium, quantum contritionis exigit mor-
tale peccatum. Quòd ſi veniam promiſit
deus parum pro ſcleris mole contritis,
tunc promiſit his quos iſti vocant attri-
tos: & iam cum his conſentit Lutherus,
quos reprehendit. At ſi promiſit deus ni-
hil omnino dolentibus, magis promiſit at-
tritis, hoc eſt utcuq; dolentibus. Quam-
obrem ſi tantum contritionem admittit,
hoc eſt ſufficientem dolorem, nemo cer-
tus eſſe poteſt ſe eſſe abſolutum: & ſic Lu-
thero perierit, aut falſa fuerit & erronea
abſolutionis certa illa & indubitata fidu-

Lutherus
vndequaq;
cōſtrictus.

cia. Sin ei dicat, cuius alioqui tepido ac remisso dolori peccata nō remitterentur, per pœnitentię sacramentum remitti omnia, fatenti se peccatorem, & petēti veniā, & per os fratris obtinēti: quid dicit aliud quā̄m sentiunt illi quos insectatur, qui dicunt ex attritione per sacramētum superueniens fieri contritionem? Sacramentum enim supplere, quod deest homini. Aut ergo falsa est positio Lutheri, certū esse hominem de absolutione: aut velit nolit, admittendum est ei, si non verbū attritionis, certe res quam isto verbo designāt: quam si concesserit, (concedet autē, nisi velit de sua sententia discedere) hominis est intēpestiue nugantis, re cōcessa, contēdere de vocabulo. Rursus magnificis verbis totam inuadit ecclesiam, tanquam peruerse doceat contritionem, dum ex peccatorū collectu & conspectu docemur parare cōtritionem, quum prius doceri deberemus, vt ait ille, principia & causas contritionis, nempe diuinę cōminationis & promissionis immobilem veritatem: quasi non talia passim dicantur apud populum, prolatis etiam in eandem sentētiam locis multis ē scriptura sacra neq; minus minacibus, neq;

*Luther⁹ in
labyrintho.*

*Insuperiores cō-
tritionis cau-
sa, quàm
quas assert
Lutherus.*

minus cōsolantibus, additis præterea cau-
sis in procurandam contritionem neq; mi-
nus efficacibus quàm sunt istæ quas Luthe-
rus exigit, & longè sanctioribus. Nam hæ
causæ nihil fere proponūt præter metum
pœnæ, & spem præmij: quæ conuersio ad
deum non tam grata est, ac si quis conuer-
tatur amore. hoc fiet, si non ista quisq; tan-
tum proponet sibi, quæ Lutherus assert, cō-
minationē dei, & remissionis promissio-
nem, sed illa etiã quæ docent hi quos Lu-
therus tanquã nihil docentes irridet, nepe
dei in se benignitatē, & toties in nihil be-
ne merentem, in toties merentē male, am-
pliter collata beneficia. His enim rebus
sibi à se propositis, adducetur peccator vt
plus doleat offensum tam pium patrem, q̃
tam potentē dominum: & minus pœnam
suã timeat, quàm iram dei: nec tam cœlum
cupiat, quàm fauorē dei. Hæc cōsideratio
bonitatis diuinæ format cōtritionem. An
nescis homo, inquit apostolus, q̃ dei be-
nignitas ad pœnitentiam te inuitat? & for-
mat, vt dixit, sanctiorē, quàm sit hæc, quæ ex
metu pœnæ & spe remissionis format Lu-
therus, qui neminē iacet illa docere præter
se, quū omnes & eadē doceant, & meliora.

Roman. 2.

*Arrogantia
Lutheri.*